Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 879
Quelle:
Copyright:

Disputatione respondeo &c. estque saltem sub principium paullo mendosius descripta. Finit: *quod tandem isto fine concludimus.*

CCLIII. IX. H. 29.

799 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 316. 8. currente calamo scriptus, et rubricis notatus continet: I. Excerpta ex diversis S. *Hieronymi* Operibus.

II. *fol.* 53. *Manuale* olim B. *Augustino* tributum et in edit. *Maur.* in *Append.* T. VI. *col.* 135. rejectum, *Bohemice* redditum hoc initio: *Poniewadz mezy osydly bydlimy snadnie od slawy nebeske odpadugemy* &c. Versio ejusmodi jam *Pragae* 1562. typis *Barth. Netoliczky* prodiit, quam retractavit 1583. ibid. *Dan. Ad. Weleslawina.* Ejus Exemplar recudi curavit nuper *Pragae* 1786. 8. vir literatissimus et amicis. *Faustin. Procbaska.*

III. *fol.* 69. *Incipit liber Beati Bernardi de templo spirituali qualiter in nobis debeat edificari.* Initium: *Domus hec in qua habitamus ex omni parte sui nobis ruinam minatur* &c. Non est *Bernardi;* editus tamen a *Mabillonio Vol.* II. *Paris.* 1690. *col.* 335. f. neque *Hugonis Victorini*, inter cujus *Opera* edit. *Rotomag.* 1648. T. II. p. 171. f. Librum III. *de Anima* constituit, sed Monachi cujusdam *Cisterciensis.*

IV. *fol.* 105. p. 2. *Sermo ad Clerum.* Initium: *Cogitante me quid liceret et expediret loqui in medio ita docte multitudinis Cleri. quidve talium audientium qualitati vtile foret atque valens* &c. Totus est in perstringendis sacrorum Hominum vitiis, superbia, avaritia, luxu, simonia &c. Est *Jacobi de Misa*, ut *Index* docet.

V. *fol.* 124. Congeries Autoritatum pro Eucharistia sub utraque specie sumenda, et alia de Sacramentis.

VI. *fol.* 143. p. 2. *Pastorale*, ut e calce transfero, *Beati Ambrosij re et nomine Episcopi.* Incipit: *Non iam ad subditum loquor vulgus quod iugiter monere consueui* &c. Initio hic truncatum legitur integrum T. II. *Opp. Paris.* 1690. inter rejecta in *Append. col.* 358. f. Recurrit alibi.

VII. *fol.* 150. p. 2. Varia *Augustini*, *Hieronymi* et aliorum Loca, multa e Scriptis suppositiis, alia truncata, nullo certo materiarum ordine.

VIII. *fol.* 209. *Stimulus Amoris.* Initium: *Liber iste qui stimulus amoris dicitur in dulcissimum et pium dominum ihesum saluatorem nostrum* &c. In III. Partes divisus extat inter Opera *Bonaventurae* edit. *Lugd.* 1668. T. VII. p. 192. f. Ad calcem tamen nobis legitur: *Explicit Stimulus Amoris beati Augustini*, et hoc inducto: *bernardi.* Ita solenne fuit Hominibus Historiae lit. ignaris Scripta velut pileos in diversa transferre capita, et saepe crucem figere Nepotibus.

IX.